DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE PRAECIPUIS MEDICI OFFICIIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM RITE ASSEQUENDAM

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICE PROPONIT

MELCHIOR LINDER

ILLYRICUS PYRRHANENSIS



PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1834

VINCENTIO PINALI

MEDICAE

ET

JOSEPHO MAGGI

CHIRURGICAE

CLINICES PRAECLARIS ASSISTENTIBUS

SIBIQUE DILECTISSIMIS

HOC AMICITIAE SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR

Age quod agis.

Quemadmodum in antiquissimis illis gymnasticis ludis, corona, qua victorum cingebantur capita, eorumque generosa conamina laudibus extollebantur, perspecta omnino et grata post labores videri et esse debebat; ita laeta illuxit tandem illa dies, qua, confecto studiorum curriculo, humanitate vestra inter vosmetipsos frui mihi est concessum, inter vos inquam arduae sane et perdifficilis viae rectores, quae ad coronae nobilitatem consequendam tutissima ducit. Exemplis enim vestris et doctrinis ad studiorum sedulitatem me excitantes, illud profecto adsecuti esse videmini, ut ingenium qualecumque meum a vobis excultum honore amplissimo dignum judicaretis. Quapropter ad exprimendos quibus nunc afficior animi sensus parum aptus, silentium meum boni consulatis quaeso, meque semper benevolentiae vestrae commendatum habeatis. Ut vero aliquod e praeceptis vestris emolumentum percepisse videar, de quibusdam et praecipuis quidem medici officiis aliqua vobis ante oculos nunc sistere proposui. De quibusdam inquam, nam omnia ad quae medicus tenetur explanare conantem et tempus et vires deficerent. Indulgentia vestra ne credatis me abuti: non enim ut alios docerem medici officia evolvenda suscepi, sed ut publico documento quasi obbligarer

ea rite persolvere quae animo sentio, et pro viribus brevi nunc sermone complectar.

Si virum civilem, eum scilicet, qui praecipuis reipublicae muneribus rite obeundis praeficitur, artes omnes et scientiae maxime decent, utpote quae commune quoddam vinculum habent, et quasi cognatione quadam inter se continentur (1), neminem praeterit medicum arte et scientia quacumque exornari debere, quo salutem conservare, vitam diuturnam efficere, morbosque curare aptissime valeat. Nihil propterea est in humanis cognitionibus, quod tamquam adminiculum considerantes, majori artis salutiferae incremento utile habere non possumus. Sed cum animi cujusque vires ita sint coarctatae, ut si in unumquodque incumbere velit vix optatam sibi contingere metam possit: hinc ad ea vel maxime respiciat est necesse, quae inter se conjunguntur et arctissime cohaerent. Et ea igitur angustiori sphaera sunt officia redigenda, quae ad intellectum medici colendum et perficiendum magis necessaria videri debent.

Supervacaneum itaque est eam admonere, quae in scholastico cursu obtineat oportet, diligentiam scilicet a primis etiam studiorum initiis, ut ad veram philosophiam quam tutissime perveniat. Non alia est enim virtutis via: aut nitendum tota animi contentione, aut perpetua rerum omnium ignoratione la-

(1) Cic. in exordio orationis pro Archia poeta.

borandum. « Haec enim, ut ait Cicero, est omnium mater artium, et rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia. Ea medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. » (1)

Logica, sive ratiocinandi ars, idcirco basis vocatur praecipua, quae ceterarum scientiarum omnium veluti fundamentum ponit: nam ut cujuscumque liberalis disciplinae officium illud est in genere suo scientificas veritates proponendi, estque dialectices hisce veritatibus characteres proprios adsignare; profecto id eveniat est necesse, ut omnino instabiles et imperfectae sint omnes cognitiones, nisi ingenium timidum ac vix sibi fidens ratiocinandi arte ab eorum principiis eas ad ultimas usque consequentias non deduxerit. Et revera quoties virum philosophiae principiis non imbutum omni vento doctrinae turpiter trahi, et falso veritatis lumine decipi non vidimus? Vera scilicet a falsis minime secernere cum noverit, non mirum immo et necessarium inde consequitur per summum dedecus occasionem praebere prophanis disciplinam quam profitetur vituperandi. Una philosophia, pergit idem Cicero (2), ab animo tanquam ab oculis, caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus. Ab ea igitur opem petamus, eique tanquam omnium matri scientiarum et artium, nec non virtutum et morum duci sanctissimo nos penitus totosque trada-

(1) *De Officis*, 2. Tusc. I. 26. Tusc. II. 4. 5.

(2) Cic. Tusc. I. 26.

mus. Cumque ejus secretiora quis intraverit, secretaque eruerit, tum demum ad medicinam alacri animo toto pectore incumbat absque partium studio, absque opinionum praejudicio, conscientia suadente, ut rectum ingenii et virium carpat iter. Non enim quaestus et lucri spe fretus, non vanae gloriolae cupiditate motus, non honorum fulgore deceptus arti huic liberalissimae nomen dare debet; sed natura veluti invitante ad ejus mysteria accedat.

Ipso itaque medici cursus tempore, artis quam vult profiteri studium diligat, caeterisque omnibus posthabitis, nocturna verset et diurna manu auctores qui medicis inclaruere doctrinis, ut inde rectas humani corporis notiones, ejusque conformationis partiumque singularium hauriat cognitionem ; de physiologicis nec non pathologicis functionibus, de triplici animalium, vegetabilium mineraliumque regno claras ideas sibi efformet; principia corporum componentia eorumque affinitatem probe noscat; de remediorum natura et de agendi modo quaestiones instituat et bene perpendat, sanitatis tuendae et amissam restituendi negotium, ut par est magni faciat; quomodo exposita principia ad quarumdam in dubiis positarum quaestionum solutionem adhiberi possint, et alias tandem scientias, quae istis arctissimo conjunguntur nexu in deliciis habeat, anquirat ac vehementer diligat.

Neque obiter sunt haec studia, quae ad hominum salutem conservandam et aegris restituendam aptissima judicantur colenda, sed in rerum est viscera

penetrandum, causae effectusque eruendi, eaque menti imprimenda, quae in praxi ad artis utilitatem majorem aliquid conferant. Nam si omnia quae societatis bonum promovent diligentiam apprime sibi jure meritoque expetunt; quonam studio non erunt ea prosequenda, quae ad salutis conservationem, summum certe et inaestimabile bonum, et ipsam vitam quam diutissimam reddere valeant? Nisi autem quis studium et diligentiam adhibuerit aliena necesse erit in comparanda vera medicina niti auctoritate. Quam quidem cum celeberrimo Hartmann nihil in scientiis valere arbitramur, nec cujusdam scholae opiniones *dogmatice* propositas fideliter credemus, sed theorias potius omnes, in quas medicina integra, arboris ad instar, quasi in plures ramos divergit, *critice* examinabimus, eo fine ut systema universale inde eruamus, quod omnes quatenus verae sunt, amplectitur.

Si medicinae studiorum aurora non nubila, sed serena fuerit, in spem certissimam ducimur pulchrum et amoenum esse futurum meridiem, qui benefici inde luminis et caloris radii in universum vergat, et gratissima erit post hominum memoriam recordatio. Studiorum medicorum auroram dicebam; nam in scholastico cursu non tantum ad studium incumbendi necessitas patet, methodus enim studendi traditur, quae velut dux est ad iter magnum sane et arduum suscipiendum; sed et multo magis studium per se unusquisque institûat oportet, curriculo confecto. Id rerum naturam sibi expetere facile noverimus, si tot ac tantas in arte medica, praecipue vero

in physiologia, chemia, anathome pathologica evolutiones bene considerabimus, nec ea tanta, quae quotidie a scriptoribus nobis dantur lumina flocci faciamus: nam nisi vestigia recenter tentata sectabimur, aegro minime ea utiliter inventa subministrare valeremus, parvi veluti exstimantes eorum generosa conamina, qui arti nostrae decus majus majoremque utilitatem adferre student.

Vituperanda itaque eorum se gerendi ratio ignavis et noxia, qui Minervae templo, laurea corona cohonestati, vix vale dicto, vitam incipere vivunt otiosam. Non ea quae a recentioribus deteguntur, non methodi meliores, non morborum gravitas a somno illo lethali expergefacere valent, in quem mollis et delicata vita eos projiecit. Videre licet nonnullos, qui artem longe aliam ac medicinam esse professos existimares, si occupationes in quas quotidie incumbunt, perpendere velles. Nam in diem vivere non verentur, nugis, ineptiis futilibusque rebus, vel saltem quae eos a medicina distrahunt nimis indulgentes, quam fidem societati dedere turpissime fallunt. Quo fit, ut confectis quomodocumque medicis studiis, immeritum nomen indignis artibus sibi conciliantes per summum nefas eo abuti properant, ignorantiae vel negligentiae effectus nihil vel parum considerantes. Quod quidem turpissimum esse neminem praeterire arbitror.

Ingenium longa rubigine laesum torpet, ait Ovidius, et quemadmodum in humanis scientiis ordo est quidam a rerum naturae Auctore sapientissimo

constitutus, quo cognitionum progressus pro intensitatis gradu in applicatione respondent: facile est cuilibet recte ratiocinanti concludere, quaenam illius medici esse debeat infelix conditio, qui studium abrumpit. Non enim quae homines didicerunt eodem etiam constanti continentur gradu, sed quaecumque non procedunt retrocedant est necesse.

Ita fit, ut in primum ignorantiae statum pedetentim perducatur hoc tantum discrimine, quod ultimus hic regressus prima conditione est valde deterior, nam magnam speciem doctrinae, sapientiaeque corrupta ambitione conjunctam praesefert.

Caveat itaque sedulo medicus et diligenter hoc dedecus vitet, nec se obcaecari adumbrato doctrinae lumine patiatur. Nunquam ad illud scientiae fastigium se pervenisse nimis credulus putet, quod a diligenti et assiduo studio cum solvat ad disciplinam cui operam feliciter navavit magis magisque in diem perficiendam. Studium est enim, quod ei bonum nomen parat et conservat, quod cum in perceptis doctrinis ad praxim bene deductam redactis confirmat, quod ad nova humani ingenii pro aegrorum bono conamina cognoscenda reddit idoneum.

Illis quas supra commemoravimus cognitionibus studiisque praeditus, diligentiam in posterum sedulam et continuam adhibens, si a civitate populo cuidam medicus exhibeatur, publicam fidem et spem haud irritas reddet.

Ast medicus sit religiosus oportet. Mentem scilicet utilibus quotidie dotibus exornans, haud diffi-

cile in studio ipso ethicae principia cognoscet, et ea ipsa in medicina perficienda diligentia philosophiae conjuncta eum pedetentim ad firmam veritatis, necessitatis, utilitatis religionis persuasionem adducet. Hinc eveniet, ut mens salutaribus hisce principiis imbuta animum quoque ad conformem agendi rationem moveat.

Quam sententiam illustrantes quod supra affirmavimus repetere liceat, scilicet medicum vere philosophum esse debere. Nam quod magnus ille et celeberrimus Angliae Cancellarius Bacho de Verulamio (1) dixit: « Certissimum est atque experientia comprobatum leves in philosophia haustus movere fortasse ad atheismum, pleniores haustus ad religionem deducere » nulli disciplinae melius quam studio artis salutaris applicari potest. Et revera, extra est omnis ancipitis aleae jactum et experientia ipsa docemur, quod si quis hoc studium temere sine methaphysices cognitione tentet; si id ad observationes leviter institutas reducatur, et ad vagam applicandi rationem, si assidua et profunda meditatio in naturae secreta interiora non ducat, ut mysteria quae sunt cognitione difficilia detegamus, atque superbiam nostram prosternere valeant; ars quae aliis vitam physicam conservare studet, eam tractantibus intellectualem vitam solet auferre. Hominem namque ex ea parte, qua ad materiem spectat considerantes, paulatim ex parte nobiliori ad incorporeum

(1) Bac. *De augument. scient.*

mundum pertinere obliviscuntur. Omnes observationes ad ordinem physicum referunt, fere nunquam alta petere solent, nisi et materiem secum ferant: hinc non raro oritur quod vel non animadvertentes in materiem redigunt, si ita eloqui fas est, et animum et cogitationem. Hinc consuetudo tractandi obscaena, quae procul dubio in eorum animos corruptos mores inducit, nisi religionis praeceptis coerceantur et temperentur: hinc cum morte, ut ita dicam familiaritatem inire, nec potentissima exterreri cogitatione, quae tamen perditissimos etiam ad religionem et ad probitatem adducere valet: hinc mos auctoritate quadam de hominum vita et morte sententiam ferendi, et tandem se penitus ad propriae experientiae effectus ad ratiocinium et lumina propria revocandi: quae causae omnes in intellectum magnis principiis quod careat, et in animum affectibus salutaribus destitutum majorem inducere debent difficultatem, ut elata nimis medicorum mens dogmatum religiosorum jugo submittatur: hinc practica indifferentia pro quocumque Divinitatis cultu, nulla inde supranaturalis Principii cura, cui, naturae vocabulo abutentes, imperium in physica arroganter negatur: denique naturae studium, in eo quo sublimitate et perfectione maxime excellit, ad ejusdem Auctorem hac ratione obliviscendum necessario ducere debet.

Ast longe alius est effectus a naturalium disciplinarum studio descendens, dummodo animus quae praecavere debet attendat, et profunda meditatione

discutiat. Anatomia argumentum divinae existentiae certissimum sub oculos sistit; nam, ut ait Galenus, machinae humanae descriptio nihil aliud est, quam hymnus coelestis qui Creatori canitur. Difficultates non vincendae, quae interdum in phoenomenorum naturae examine, homini vere philosopho occurrunt, dum humanae rationis angustias evincunt, eodem tempore docilem reddunt; et mysteriis ordinem physicum obrui cum videat, facilius et obtemperantius in ordine supranaturali majora adhuc existere credit. Chemiae studium, motus, actionis materiei, indolis fluidorum phoenomena, magis magisque eum in persuasionem de animi spiritualitate et immortalitate ducunt. Improbi hominis morientis symptomata, cui pro munere suo non raro medicus adest, ejus retractationes, ejusque palpitationes, animi convulsiones ipso corporis excruciatu vehementiores, mortis casus tragici, quos medicus quotidie videt, necessario mentem recte ratiocinantis ad erroris cognitionem adducunt, et adversionem in omnia quae ad cogitandi et vivendi libertatem conferunt, et religiosorum principiorum amorem inducere debent. Et quum levis spiritus, animusque malis imbutus moribus, in occasiones incidit a recto tramite seducendi, et magis magisque se corrumpendi, mens solida, inquirens, laboriosa, animusque rectus rationem facile agnoscit, quo religiosior sit et honestior. Hinc Baldit assiomate suo tempore pervulgato affirmavit, atheum scilicet et medicum inter se ac aqua et ignis differre, et

Balme, post Democritum et Diagoram tres et non amplius qui existimarentur athei extitisse autumavit.

Quod si quis contrariam sententiam teneret, ultimisque temporibus plurimos fuisse, qui irreligione excellerent medici dictitaret hoc ne majoribus tribuamus luminibus, dum potius profundi naturae studii defectu id consequi certissime evincimur; nam attentio omni mente ad hoc studium ita auctorem patefacit, ut nemo sublimis physiologus extiterit, qui religioni non addictus fuerit, ita ut semper verum quod jam supra retulimus Bachonis effatum etiam de studio medico manserit: «Leves, scilicet, in medicina haustus movere fortasse ad atheismum, pleniores haustus ad religionem deducere.»

Ne autem haec quae diximus extra vel praeter argumentum nostrum affirmari quis ducat. Nam cum Religio praecipuus ille nexus sit, qui hominem fini suo praecipuo et societati conjungit, officiorum in primis magis necessarium religio videri debet, non ex ea parte, quae vulgaris est et publica, sed rationalis et sancta. Et revera exemplum nobis esse possent vere sapientes illi medici, qui religionem cum profunda medicinae scientia junxere, quorumque ingens apud omnes cultas gentes nationesque numerus.

Quod si philosophiae praeceptis et medico studio obiter tantum intentato, ad ea teneantur solummodo principia, quae a primis hauserunt incunabulis artis salutaris ministri, non difficile inde evenire potest, ut intellectus minus firmiter illis adhaerens, tandem instabilis fiat, et inde periclitetur. Et ta-

/88

men nullum aliud fortasse in humanis est studium existimandum, quod huic nobilissimo fini scilicet religionis persuasioni magis respondeat (1).

Jam vero ita medicus constitutus cum fiducia accedat ad sacrosanctum illud ministerium, quod sibi committitur: animus enim omni cura, sedulitate et hilaritate omnia perficere officia valebit, quae ab eo societas expostulat. Ac de officiis quidem erga se ipsum fere satis diximus.

Nunc medicum inspicere juvat in praxi, quà ratione scilicet erga aegros suum dirigat agendi modum. Illud certum est quo fieri potest citius aegrum invisendi necessitatem et utilitatem ei perspectam esse debere. Nam quisque qui immaginandi vim non ignoret, nec pathematum influxum in corpus humanum penitus praetervidet, facillime concipere potest, quomodo medico serius ac oportet veniente, morbi ex omni latere exasperari possint. Aeger enim de statu suo anxius et sollicitus inquieto animo medici moram patitur, qui de morbo, quo laborat, ferat judicium; et nisi statim praesto sit, irascitur, dolet, vehementer angitur, sicque naturali anxietati hanc novam aegritudinem adjungens, morbum ipsum reddit deteriorem. Quam e contra miserrimi

(1) È lo studio medico quello che meno si dee ritenere come sospetto, e meno atto a condurre all'irreligione. Una profonda cognizione delle opere della natura solleva l'anima alla più sublime idea dell'Essere supremo, e nello stesso tempo ricrea il cuore coll'aspetto più piacevole della Provvidenza. Gregory. *Sui doveri e sulle qualità di un medico.*

adversus morbi vim luctantem medici verba blanda non erigunt, eique sollicitae valetudinis spe animum faciunt! Tunc mens quieti componitur, liberior conceditur medicatrici naturae aditus, quae crises beneficas moliatur. Praeterea in morbum ipsum medici sollicita cura maximum exercet influxum, nempe quandoque urget remediorum administratio, et absque noxa, mora vel brevior non evadet. Sic in febri angiosthenica simplici, dum omnibus organis inflammatio imminet, sicut prompta phlebotomia febrim ipsam imminuere potest, ita praepedit ne organi cujusque inflammatio se se evolvat febrim angiostenicam complicans periculosioremque reddens. Sic in pulmonum inflammatione in organo vasculis sanguineis divite, in quo processus morbosi summa cum celeritate curriculum absolvunt, cujus aliunde certus requiritur integritatis gradus, ut functio vitae essentialis se se exercere possit, certe vel unius horae spatium in causa esse potest, ut inflammatio limites illos transgressa sit, qui medicinae dominium sistunt. Intra triginta sex horas exempla enim exstant, pulmones pure scatere. Sic in apoplexia, vel ex congestione vel ex cerebrali haemorrhagia procedente, prompta remediorum convenientium administratio effectus breviter exitiales impedire potest. Quoties non evenit, ut gravis epilepsia in apoplexiam accessu perdurante transeat? Qui exitus certe coërceri potest, si medicus praesens phoenomenorum intensitatem rite existimans, ut vena statim secetur jusserit, et tali pacto

graves congestiones vel in organo cerebrali effusiones amoveantur. Quoties medicus ad aegrum se sciscitantem serius properans, illud temporis momentum perdidit, quo indolem perniciosam febrium detegere, et opportuno tempore febrifugi administrationem praescribere posset! Quibus in omnibus quantum medica sollicitudo valeat latissime patet ad morbi vim infringendam tum directe per convenientem remediorum administrationem, tum indirecte per quietem in animum anxium aegrotantis inductam.

Mirum sane divinae providentiae est consilium hoc inter animi corporisque functiones commercium, quo fit, ut animus aeger corporis frangat vires, corpusque debilitatum vel morbo laborans tristes in animum producat effectus. Medicus autem revera hoc nomine dignus medicinam utrisque praebere tenetur; tum quia animi morbi perniciosiores, ut ait Cicero, ipsis corporeis sunt, tum quia tranquillitas animi ad valetudinem restituendam quamplurimum confert. Quoties enim phantasia abrepti quidam in verum, quem excogitabant morbum inciderunt, dum e contra alii animo medicina adhibita, subito etiam corpore convaluere?

Ad hoc praestantissimum munus praesto sit itaque medicus; neque repentinis animi motibus cum adest incitatus, opus quod ipsi perficiendum demandatur irritum reddat, iisque virtutibus omnibus, quas leniores vocant, aegrum ut par est tractet, moderatione scilicet et blanda amoenitate. Illius enim

status id sibi jure merito vindicat. Illius visitatio hilaris. Melius est, ait celeberrimus Macoppe, elegantibus peccare verbis, quam scabra rusticitate (1).

Non itaque futilibus vel ineptis, quandoque etiam vituperandis negotiis se distineri sinat, quin mature properet ad aegrum sciscitantem invisendum, nec ullum temporis spatium inutiliter terat, ut ei opem ferat: sed cum venerit, verborum asperitate eum non terrificet, qui cunctam in medico salutis spem posuit; absit quod indignis modis e trivio petitis cholerico temperamento nimis indulgens aegro animum despondere faciat. Et revera aeger qui omnibus fortunae bonis careat, medicum ut angelum veneratur, qui sibi in gravissimo morbo, in quem incidit, auxilio praesto sit. In gravissimo, inquam, nam levem patienti animo suffert. Spes eum tenet in medicis verbis solamen aliquod audiendi, et vehementer et anxie visitationem anhelat. Proh dolor! Medicus vel negat venire, vel cum de aegro est conclamatum venit, aut si adspicere aegrotantem non dedignetur, ejusmodi est rudis se gerendi ratio, ut miserrimo spem cunctam tollat, sententiam veluti funestam audienti. Quod si quis hanc austeritatem ita cohonestare vellet, ut necessariam esse medicinae affirmaret, nos respondebimus, severitatem et firmitudinem tantopere in praxi necessariam humanitatis officia non debere impedire (2). Qui

(1) Aphorismi medico-politici ad N. XCI. Venetiis 1795.

(2) Vediamo coll'esperienza, che un temperamento affabile ed umano non si oppone punto alla fermezza di spirito,

hominem se meminerit, nihil humani a se alienum putabit.

Aegri inquisitiones minutissimae non satis laudari queunt. Parum illi bono consulunt artis medicae cultores et professores, qui praxi fortasse aliquot annorum innixi morbos proteiformes in latentibus organismi nostri latebris extemplo detegere gloriantur. Observando, interrogando, et bene ratiocinando tantummodo difficile veram morbi conditionem interdum cognoscere valemus; nec eos efferri oportet mirificis illis curationibus, quas per accidens fortasse obtinuere: namque dubium superest semper eos in curandi methodum impegisse, quae morbi sit naturae conveniens, vel saltem non ejusmodi quae naturae operationes impedire valeat. Sunt itaque quaestiones et inquisitiones instituendae, quibus facilius indoles et sedes morbi perspiciatur, et opportunis adhibitis remediis removeatur.

Quid autem de iis dicendum, qui absente aegro, inepto nuntio vel muliercula quadam referente pharmaca praescribunt et curandi methodos, quum tot tam varia et complicata et latentia sint interdum symptomata, ut vel oculatissimum effugiant? Ecquis non videt quomodo hac ratione eam fallant fidem, quam in eis collocavit societas? Quam inconside-

ma che anzi ella n'è una solita conseguenza; e che le rozze e severe maniere sono per l'ordinario l'effetto d'una debole dottrina e di un'anima mediocre, essendo spesse volte usate dagli uomini privi di magnanimità e di personale coraggio, a fine di coprire i loro naturali difetti. Gregory.

rate se artemque professam male de ea judicantium opprobriis exponant? In plateis etiam, in viis et inter pocula consilia ne demus, saltem quae iis simillima esse videantur, qui carmen effundunt ex tempore imperitorum tantum laudem consequentes.

Ast non raro diligenti de morbi indole examine constituto eveniet, ut dubius haereat medicus et ignoratione laboret opportuna pharmaca illi subministrandi. En aliud quod medico se sistit officium ad consultationes scilicet provocandi, inter collegas conferendi, ut detectis morbi causis rectam curandi methodum inire possit. Nec eum pudeat de peculiari ignoratione suspectum se reddere. Melius enim famae aliquod detrimentum pati, quam eam humanitatis impensis conservare. Quamquam minime est putandum hac ratione aliquod damnum bono nomini inferri posse. Siquidem gloria solida est res et expressa non adumbrata. De se et propriis viribus interdum dubitare, magnae est prudentiae signum, nec non ingenii et virtutis argumentum. Non autem hominis vita parva res est, quam medicus pro arbitrio parum aegri bono consulens projicere possit. In dubiis itaque consultationes instituendae (1), in

(1) "Si vous doutez (ait Frank in Sermone de medici officiis) des succès de vos soins, ou si les parens semblent le desirer, non seulement ne vous refusez point à une consultation, mais soyez les premiers à la proposer, et dans le choix des médecins qui devront être appellés à cet effet, ne temoignez ni éloignement, ni prédilection, et rapportez-vous en à la volonté du malade, ou de ses parens."

quibus ita se praebeat, ut munus gravissimum suum postulat. Neque, ut curanti medico gratificetur, aegri valetudinem periculo exponat, methodum adprobans persuasioni quam habet contrariam. Quidnam revefa magis risum movet, quam medicos audire in principiis et opinionibus diversos eamdem ferre sententiam, ut ad invicem concordes sint, idem officium humanitatis, ut credunt, alterutri exhibentes? Sanari enim vult aeger, non decipi. Prudentia tamen utare, et cum aliis medicis litigia fuge. Non igitur collegae fama et aetate impediatur, quominus judicium quod sentit ferre valeat suum. Medicus enim tunc prae caeteris excellet, quum attentione observaverit, eaque bene usus fuerit; alias non amplius eo nosocomii famulo noscet, ut ait Zimmerman, qui millenos vidit aegros, quin unicum scientifice observaverit.

Superfluum esse videtur admonere quae, morbo detecto, medicus aegro praestare tenetur. Conscientia duce et persuasione, eam adhibeat curandi methodum, quae ad aegrum levandum tutissima videri potest. Medicus revera talis supra eum nulla tentamina instituit, qui probe sciat quanti est vel unius hominis vita ducenda: nihil inter pauperes et divites interesse existimat, neque ut medicinam reddat experientiis uberiorem, aegrotantem sibi confisum incertae remediorum vi relinquit. Quaenam pro infirmo cura, quae in visitando diligentia, quodnam in symptomatibus explorandis studium, quae in praescribendis pharmacis prudentia! Nihil praeter-

mittit, nihil non facit, quod vitam hominis societati restituendam valeat, quam homines ab eo non amplius repetent, sed olim Deus societatis auctor e suis manibus repetet.

Sed ars, in quam pro ingenio nostro incumbimus, non semper vitrix evadet. Sibi namque saepe ac saepius deest, natura nempe cedit naturae: nam hominis constitutio in utroque statu physico nempe et morali pro nobis erit mysterium; ut enim infinita sunt illa fila, quibus humana continetur vita, ita sunt fragilia; hac ratione scilicet voluit ipsius naturae Auctor, ut quaecumque scientia, praecipue vero medica, finibus coarctaretur. Hinc aliud artis nostrae professori suboritur officium.

De corporis aeque ac de animi salute sollicitus aegrum de valetudinis statu minime fallit, eumque, si opus est, religionis subsidiis praemuniri vult, ne arte medica deficiente, pars ejus nobilior, animus pereat.

Quod quidem officium quamquam aliorum sit provinciae, tamen medico aptius neminem rite persolvere arbitror. Nec ea nos teneat quaerela, quin debito nostro satisfaciamus, quae quotidie a quibusdam est dictitari solita. Affirmant enim nonnulli: serius quo fieri potest Sacramentorum administrationem indicant medici, utpote quae terrorem aegris incutiat, et animi angore, vel ipsum quo adficitur morbo deteriorem reddat. Quam opinionem penitus refellendi hic non est locus. Illud tantummodo nobis animadvertere liceat, quod experientia constanti

est comprobatum, quotiescumque aegris tranquillitatem per religionis auxilia conciliatam fuisse, animo quieto, morbum ipsum vel imminutum vel etiam ablatum fuisse. Hoc etiam ex illis, quae superius adduximus, facile evincitur. En in medico religionis necessitas, cui si quis firmiter adhaereat, nil mirum aegro videri debet si de quibus sibi est persuasum loquatur, et blando modo suadeat. Ast si religionis speciem tantum praeseferat, cum tamen necessitate coactus ab aegro et familiaribus de Sacramentis administrandis habere sermonem audiatur, certae mortis velut signa ejus verba, et sano quidem judicio existimantur. Medico prudenti sint praesto consilia et eloquentiae thesaurus, ut id officium pro diversa aegrorum conditione et amicorum et parentum cum eo nexu rite explere valeat. Optimo cum successu id eveniet, si hanc necessitatem sacramenta suscipiendi tamquam medicinam aptissimam ad salutem recuperandam cognoscere faciat: nihil enim saepe certius ad mortem ducit, quam metus mortis.

Quodsi, inquisitionibus praepositis, pharmacisque convenientibus rite adhibitis, omnibusque quae supra diximus servatis, medicus mortem praevideat, idque revera accidat, humanitatis officium est familiae, cui aeger pertinet, solamen aliquod ferendi.

Et revera quem bene excultum animum non movet aegro benevola, et de ejus salute sollicita familia! Ante oculos illud momentum sistamus, quo bene saepius filii, uxores, nec non dolore affecti parentes et amici, a medico chara patris, uxoris, filii,

amici capita, et interdum etiam cuncta civitas benefactorem, magistratum, communem patriae parentem, vitamque publico bono necessariam repetunt. Illius praesentia angelo opem et solatia ferenti similis; ejus verba tanquam ros desuper fluens, quae florem in arida terra paene excisum vivificat. Hinc spes, hinc ab eo pendent timores. In medici adspectu sententiam veluti avidis oculis inspicientes spem vel moerorem haurient.

A quonam melius hoc officium expleri poterit, nisi ab eodem ipso cui aegrum curandum tradiderunt propinqui, cujus diligentiam et studium et sollicitudinem, quamquam e votis non cesserit, grato tamen animo agnoscunt et laudant? Nam quae ab aliis dici possunt utilia quidem, sed non tam apta ad animum faciendum considerare debemus. Hac ratione enim quanti duxerit aegri salutem, quantumque sua interfuerit eum sanari, manifeste patet. Hac humanitate eorum qui supersunt favorem sibi conciliabit, nec eveniet ut de aegri morte, ut saepissime fit, injusta ratione accusetur. Et sic quae de aegro erant officia praedicanda, satis explevisse censemus.

Quaedam nunc de iis quae medici ad invicem tenentur observare. Nihil quod magis indignationem moveat, quam inter medicos sarcasmi et jurgia, quae cum ipsos interdum excruciant, non raro aegrorum detrimento obtinent. Si quis eorum de nobis male loquatur, inquirendum an vera dicat, et nos ipsi causam dederimus; quo in casu fidelissimus, ut ait Se-

neca, est ad honesta ex poenitentia transitus, quin et gratias illi habere debemus. Nam, ut pervulgatum est, inimici hoc sub adspectu melius quam amici prosunt. Si vero e contra injusta ratione accusemur, ignorantiae id potius quam injustitiae tribuamus. Quod si calumniam revera coacti sumus agnoscere, generoso ei parcamus animo. «Morbi tyrannidem accusa, non medicum, ait celeberrimus Macoppe, nec livida quorumdam senum pervicacia tenellorum juvenum gloriam nigra conspuat, fascinetque saliva. Arte subdola, vel occisum civem commiserante, vel salutis publicae amantissima, infidum invidumque pectus ne tegas. Nec laudes prius, ut vituperes posterius.» In primis autem quodcumque judicium de curandi methodo, saltem si aegrum non vidimus reservemus, nisi de morbi circumstantiis penitus in cognitionem venerimus. Si vero judex in simili constituaris casu, accusationem refelle. Facile enim est per effectus errorem deducere et accusare, quem tamen difficillime nos ipsi vitare possemus. Paucis, medicus in aliis artis salutaris cultoribus socios pro publica promovenda et conservanda salute videat. «Cum summus, ut ait Hartmann, ad quem medicina, aegrorum salutem moliens, adnititur, finis morbi sanatio et aegri in integrum restitutio sit.» Medico indignum caeca popularis aurae cupidine ducente omnia praeter sua, superflua, vacua, inutilia declarare, et ne medico socio consulenti gratificetur, vel contrariam curandi methodum praescribere. An mirum videri debet, si medicina hisce auspiciis licet de-

hominum vita bene merita non laudetur, quin immo a plerisque vituperetur?

Erga pharmacopolas etiam non ultima medico exstant officia. In quibus eligendis prae caeteris illud observabimus, quod non pro levitate, neo partium studio abrepti ducamur, sed pro persuasione ab iis praescripta nostra religiose adimpleri. Hae sunt officinae quas invisere, in quibus medicus inveniri oportet. Nec in suspicionem quidem ducimur adeo vituperandos existere medicos, qui pharmacopeas aegrorum salute et artis detrimento locupletare velit.

Quid autem de iis dicendum, quae ad civitatem ipsam spectant, quibusque medicus obtemperare tenetur? Civitas nempe in eo fidem, in eo hominum vitam, honorem posuit. Quam fidem turpe est fallere, scelestum vero bona inaestimabilia, quae sibi sunt concredita, parvi pendere vel perniciei exponere. Saepe ac saepius ab uno medici testimonio et singularium, et quandoque omnium civium prosperitas et salus pendet. In contagiosis ac epidemicis morbis grassantibus vitae propriae nimis consulens ne recuset auxilium ferre quibuscumque tenetur. Medici enim vita publico est veluti bono devota: ad id jurejurando sancto coram Principe, et, quod magis est, coram Deo se obligavit. Nec in ferendo opem auctoritatis potentiae gradum respiciat; sed si aliquod sit discrimen faciendum, id inter eos qui magis nostro indigent auxilio, et eos qui facile carere possent est instituendum. Tamen in casibus majoris maligni-

tatis morbi contagiosi magis societatis integrae, quam unius hominis ratio habenda.

In genere ea medici officia non recensenda curamus, ad quae omnis bene excultus in societate tenetur. Quae tamen quanti sint ponderis, quantae utilitatis, omnes facile intelligent, qui hominum constitutionem probe norunt. Suaviloquus, hilaris, aliórum benevolentiam sibi facile conciliat, statque interdum pro scientia humanitas. Quantum emolumenti vel ab ipsis aegrotantis domesticis, lenioribus ut ajunt virtutibus, famae nostrae aegrique bono afferamus fidem nostram superare videtur. Et revera si omnibus in scientiis et artibus Charitibus sacra facere oportet, ut e voto cedant quae suscipimus, cur eas ut arti nostrae praesto sint non invocabimus, austeritati veluti medentes, qua interdum uti in curis debemus? Quod quidem antiquis cognitum et adprobatum accepimus. Apollinem enim et Musis et Charitibus praeesse credebant; Apollinem, inquam, qui medicae artis inventor primus habetur. Ut humanus, ut generosus, ut sapiens, erroribus parce; contumelias tolerantia vince; stipatas aures stridentibus praebe voculis: vel invidia tandem vel necessitate rumpentur (1).

Quaecumque alia sint officia, quibus medicus satisfacere tenetur, quaeque hic brevis sermonis spatio compleri non possunt, qui ea quae hucusque evoluta sunt explebit, non magna cognoscendi difficul-

(1) Macoppe in *Aphorismis medico-politicis*, a celeberrimo Professore Fl. Caldani elucubratis.

tate laborabit. Quorum ut numerus sat magnus ita sanctitas quam latissime patet.

«Ast quotus quisque medicorum invenitur (quod enim Cicero de philosophis dicebat, de artis nostrae cultoribus nobis quoque praedicare liceat (1)), qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus ut ratio postulat? qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et jactatione, iis ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos .... Quod quidem mihi videtur turpissimum.» Non enim aegrorum physica tantum vita interdum est in medici potestate, sed et bona fama, honor, familiarum tranquillitas: hinc medicus moderate licentia utitur, quam sibi ars tribuit salutaris; secreta sibi concredita silet; est pudoris custos, bonorumque omnium caeteris major defensor. Quodnam sanctissimum ministerium, et quinam eligendi sacerdotes!....

Secum itaque medicus, priusquam huic disciplinae nomen dandi consilium ineat bene perpendat oportet indolis et ingenii vires, studii in quod incumbere intendit gravissima momenta magni faciat, ministerii sanctitatem veneretur. Hinc pro viribus artis salutaris cursui operam navet; quo confecto, diligentiam quamplurimam adhibeat ad ea quae didicit elucubranda, magis magisque menti imprimenda,

(1) Tusc. II. 4. 5.

novisque inventis adaugenda. Ast mentem tantummodo non colat, quin animum ipsum colat. Non enim humano generi magis ingenii acies quam animi humanitas profuit. Alterum alterius auxilio eget, et religione viget. Haec enim mentem illuminat, animumque movet ad omnia decora et honesta perficienda. Nam quae de hominum sunt vita et cultu merita, non a mente sed ex animo proficiscuntur. Religioni autem et humanitati caeteras, quae utroque hoc fonte derivantur, virtutes conjungat. Prudens sit, modestus, a corporis obsequio indulgentiaque discedat, voluptatem opprimat, pericula ministerio quo fungitur conjuncta ne fugiat, societatem caritatis cum aliis ineat; ne in secundis confidat, in adversis deficiat; et adversus utramque fortunam intrepidus et inconfusus prodeat.

Quae omnia si explanare vellem oratiunculae limites transgressa vestras fortasse aures offenderent, nisi in vobis eadem et merita et virtutes, doctissimi Professores, cerneretis. Quid aliud enim est in me, quod vestris non haurirem praeceptis, quorum pro doctrina et humanitate vestra tam latissime splendent exempla? Haec autem, quae in nucleo veluti exposui vobis, perspecta et adprobata arbitror. Quibus, quantum id per me fieri licebit, obtemperare conabor, et pro viribus eam instituam me gerendi rationem, ut cujus officia religiose observanda veniunt mihi et cordi esse et exposuisse censeatis.

THESES DEFENDENDAE

I.

In chlorosi praecipua phoenomena morbosa pendent a tali sanguinis alienatione, ut pars seroso-albuminosa, fibrinae ac principio coloranti praepolleat.

II.

In statu praesenti scientiae medicae febres essentiales e morborum catalogo eliminari non possunt.

III.

Nulla existit connexio inter doloris pleuritici extensionem, et extensionem pleuritidis.

IV.

Extant criteria probabilia, quibus distingui possunt effusio seri in cavo thoracis ab inflammatione producta, ab effusionibus sanguinis, causa eadem provocata.

V.

Phtisis pulmonaris raro, sed quandoque sanatur.

VI.

Diarrhoea colliquativa phtisicorum a gastro-entheritide pendet.

VII.

Febris puerperalis non semper peritonitis.

VIII.

Delirium et spasmi clonici non semper arachnoitidis effectus.

IX.

Liquidum cerebro-spinale vel adauctum vel imminutum ex analogiae legibus plurimorum morborum cerebralium causa judicandum.

X.

Hemophtises graviores quasi semper pendent ab apoplexia pulmonari.

XI.

Non datur mania sine delirio, a Pinelio Reilio aliisque admissa.

XII.

Deficientia in cadaveribus alterationum solitarum contra possibilitatem veneficii ope arsenici perpatrati minime stat.
